

Facultatis medicae in Academia Lipsiensi p. t. Pro-Cancellarius, Augustus Quirinus Rivinus, Phil. & Med. D. Facultat. Medic. Assessor & P.P. L.S.D.

Contributors

Rivinus, Augustus Quirinus, 1652-1723.

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Christoph. Fleischeri, 1694.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rp68v3hp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FACULTATIS MEDICÆ
IN
ACADEMIA LIPSIENSI

p. t.

Pro-Cancellarius,
AUGUSTUS QVIRINUS
RIVINUS,

Phil. & Med. D. Facultat. Medic. Assessor & P. P.

L. S. D.



Vi animalium motus ejusque causam scrutari voluerunt, hætenus non inconvenienter ad tres classes revocari possunt. Prima est eorum, qui corporum viventium motus à principio quodam interno atque vitali unicè deducunt: altera illorum, qui eosdem ab impellente quodam externo tantùm fieri arbitrantur: tertia cæterorum, qui & motorem internum & externum aliquem concurrere in hoc negotio putant. Missis jam dissensionibus litigiisque circa principium internum natis, hac vice saltem declarabo adversus reliquos, motorem externum animalium, qualem fingunt, nullibi dari, adeoque nec unicam, nec sociam esse motus animalis causam.

Argumenta, quibus opinionem suam firmare nituntur, potiora hæc sunt. Primum est, corpori nullum competere motum aut actuositatem propriam juxta *Kenelmum Digbaum de Nat. Corp. c. 9. & 10. & VVolf. Sengverdium Philos. Nat. P. I. c. 5.* Imo & facultates, quas Philosophi Medicique tribuunt corporibus, imaginarias saltem atque fictitias esse, monente *Benj. à Bræckbuysen Oecon. Corp. Anim. Art. 47. p. 81. & Job. Conr. Peyero Merycolog. l. II. c. 1. p. 81. & 82.* Alterum est, quicquid movetur, moveri ab alio tanquam externo impellente; atque ideo vel Deum immediate agitare corpora, judice *P. Malebranche in Dial. de Metaphys. & Relig.* vel mediatè, interveniente materia subti-
li per aërem sparsâ, quæ Spiritus animales, sive principi-

um vitale moveat. Confer *Job. Tatinghoff Clav. Philof. Nat. c. 6. quest. 5. p. 137. Job. Nic. Pechlin. de Aer. & alim. def. p. 22. 32. 38. 48. &c. & Job. Christ. Sturm. Idol. Nat. p. 40. & 41. aliosque.*

Sed respondeo breviter: distingvendo inter corpora viventia atque mortua, sive cadavera. Si vitam demas, nullum superest motus animalis principium; & quæ tum relinquitur materia, procul dubio iners erit. Quid verò impedit, principium illud vitale, quod Aristoteles formam dicit, cum *P. Gassendo in lib. X. Diog. Laert. de Phys. Epic. animadv. p. m. 235.* ita concipi, ut nomine formæ intelligatur quædam quasi tenuis subtilissimarum actuosissimarumque atomorum contextura, quæ fusa per corpus, seu massam ex reliquis crassioribus & inertioribus constantem, sit ipsi, atque adeo toti corpori, movendi principium. *vid. Dissertat. meam de Spiritu Hom. Vit. c. 1.* Non miror interim, potentias omnes denegari corporibus à recentioribus, qui corpus qua tale seu extensionem merè passivam volunt, atque materiam nihil aliud esse arbitrantur, quam spatium extensum, omni aliâ proprietate, præter eas, quæ ab extensione hâc pendent, destitutum, secundum *Sturmiæ Phys. Conciliatr. conam. I. c. 3. §. 9. & 10. p. 35. seqq.*

Atque ideo nec mirum est, si animalia, spectata mechanicè solum, & in abstractione Mathematica, destituantur principio movendi, sentiendi, appetendi, generandi &c. cum hæc omnia nullatenus quadrent in extensiones, longum, latum & profundum. Nec adver-

sus Aristotelicos quicquam obtinent Cartesiani, quando fatentur, se facultates illas nullatenus concipere posse, nihilque de iis præter vocem sive notionem sibi constare; ab ignorantia enim vestra ad negationem rei non valet consequentia.

Nec verò Peripateticos stringit, quòd *Aristoteles l. VIII. Phys. c. 4.* asserere dicatur, quicquid movetur, ab alio moveri, cùm plus in rubro ab interpretibus adjecto, (siquidem in Græco textu non legitur) quàm in nigro sit; adhæc allegatus locus mentem Autoris prorsus contrariam exprimat, utpote, qui animalia naturâ moveri à se ipso, expressis verbis affirmat; imò & in iis distinctum esse id, quod movet, ab eo, quod movetur, atque ita totum movere se ipsum. Quam incongruè autem *Tatinghoff l. c. p. 136.* caput II. Phys. ejusdem libri alleget, ex ipsa lectione Stagiritæ satis apparet, siquidem disertè docet in eodem capite, animal se ipsum movere, non quòvis motu, sed locali, nihil tamen impedire, quo minus etiam moveatur ab eo, quod ambit, nempe motu cogitationis vel appetitionis.

Quod ad Deum attinet, nullum est dubium, quin rerum creaturarum omnium potentia, ab eo, tanquam Creatore omnipotente, primùm fuerint productæ: nec dubium est, quin ab eodem conserventur adhuc, quamdiù ipsi visum fuerit. Absit autem, ut immediatè ab illo petamus viventium motus. Equidem *Peyerus l. c.* non immunes ab idololatriæ vitio censet, qui facultates corporum singulares, rerum gerendarum conscias,

aut actionum vel motuum genitrices fingunt, quoniam creaturis tribuunt, quæ ad solum Deum pertinent. Sed metuo, ne incidat in Scyllam, qui vult vitare Charybdim, & ab uno extremo in aliud labatur longè gravius. Concedo nimirum, impium fore, si quis Creatorem, tanquam causam primam & universalem seponere, cunctasque vires causis secundis, hoc est, ipsis corporibus naturalibus unicè adscribere velit. Ast non advertit Clarissimus Vir, magis injurium in Divinam Majestatem fore illum, qui causis secundis omnem denegat efficaciam, immediate ab ipso Summo Numine petendam. Si enim nulla fibræ movendi facultas inest: si Deus ipse organa brutorum pro suo movet arbitrio, sequitur necessario etiam male facta illorum à Ter Optimo Maximo immediate provenire, quod blasphemum.

Jussit jam olim Deus in Veteri Testamento *Exodi XXI. v. 28. 29.* taurum lapidibus obruere, si quem forte hominem interfecerit, it. *Levit. XX. v. 16.* bestiam necare præcepit, quæ cum foemina rem habuerit. Quod si verò bruta suarum actionum prorsus ignara sunt, si merè organicè se habent, ac purè passive, quò jure puniuntur? nec enim instrumenta, ut gladius, fustis, saxum & similia plectuntur justè, sed qui talibus in perpetrando facinore sive homicidio utitur. Videant alii, quò pacto crimen læsæ Majestatis Summæ declinent vel effugiant, qui eam potius patrare omnia, quam corporibus naturalibus aliquam concedere potentiam malunt; cum tamen nihil implicet, facultatibus concreatis, vel etiam

congenitis, quas Deus liberas concedidit viventibus, eadem hæc abuti aliquando.

Nihilo meliores sunt, qui præter DEUM adhuc aliquam universalem motus causam ex æthere petunt. Etenim 1.) injurium est in DEUM, creasse illum animalia sine anima, viventia sine vita, corpora perfecta omnipotentiâ destituta, cum tamen ipse aliter producere ista potuerit & voluerit, & tanquam bona in suo genere approbarit, teste *Genes. c. I. v. 21, 25, 31.* 2) DEUM extra se rei cuidam creatæ vires dedisse movendi cuncta, impium est credere, siquidem id Omnipotentis est. Et quemadmodum 3) sidera non opus habent rotatore peculiari, aut fictis intelligentiis, cum impulsus ille primus à Creatore impressus abundè sufficiat usque ad mundi finem: ita multo minus, quæ agentia sunt libera, motorem postulant, vel admittunt extraneum. Præsertim si 4) spectemus non diversos modo, sed & prorsus contrarios motus corporum, quos ab eodem petere principio sine absurditate insigni haud licet. Fingamus inter venandum in eodem agro pratove feras canesque ac venatores insimul pererrare incerto cursu. Præsuppono autem ad mentem Cartesianorum, animalia hic concurrentia sicuti sensu omni, ita & motu destitui spontaneo.

Jam vero signum datur, excitatô clamore: canes vestigatores in sylvam mittuntur, ut è latebris suis propellant captandam prædam. Nescio autem, quô casu fiat, ut visu olfactuque carentes in aprum incidant, lepo-

leporemve, aut vulpem: atqui hæc animalia itidem nec strepitum percipiunt latratumque, nec hostem cerunt, aut quicquam timent. Nihilominus materia subtilis agit, quod sui est muneris, atque ita in scenam producit machinas suas, quas obsequiosas ubique non aliter exercet, ac histrio pupas. Sub hujus directorio omnia se rectè gerunt; quis enim impediat, quo minus canis dentibusprehendat venatorem, & canem lepus, nisi materia illa cœlestis cuncta moderetur debite. Scilicet materia hæc sine materia erit, quoniam, si nihil est præter extensum, carebit necessario & hic requisitis potentiis.

Sed quorsum abripior? Talia nimirum meditandi occasionem mihi dedit *Vir Juvenis Nobilissimus atq̃*
Clarissimus

CAROLUS FRIDERICUS Zimmermann/
Dresdensis, Med. Bacc.

qui hucusque talem se gessit, ut, quos ambit in arte salutari Honores, eidem decernere non dubitarit Gratiouissima Facultas Medica. Postquam enim sedulus auditor lectionum Nostrarum publicarum privatarumque, illam sibi comparavit artis peritiam, quam in examinibus consuetis Nostro abundè comprobavit Ordini, reliquum est, ut sese nunc etiam publico sistat, ac Disputationem Inauguralem de *Paralyfi Scorbutica* defendat strenuè, Gradumque Licentiaturæ in Medicina reportet ex meritò.

Quan-

Quandoquidem verò à Reverendissimo,
Serenissimo atq; Celsissimo Principe ac
Domino, DOMINO CHRISTIANO,
Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae, Monti-
um, Angriae & Westphaliae, Postula-
to Administratore Episcopatus Mar-
tisburgensis, Landgravio Thuringiae,
Marchione Misniae & utriusque
Lusatiae, &c. &c. Cancellario
hujus Academiae perpetuo, *Do-*
mino meo Clementissimo, Procancellarii
munus ad hunc actum clementissimè mihi demanda-
tum est, faciam cras DEO volente horis locoque con-
suetis, quod officii mei ratio postulat. Vos igitur, *Ma-*
gnifice Academiae Rector, *Patres utriusque Republicae*
conscripti, & quotquot vel studio Nostro, aut Nobil-
issimi Domini Candidati conatibus favetis, ut Hono-
rifica Vestra praesentia Panegyri hanc illustriorem red-
dere velitis, hoc ipso invitatos exoratosque cupio. Si
quæ vicissim dabitur occasio declarandi Nostram in-
serviendi promptitudinem animumque gratum, eò al-
laborabimus semper, ut officiis servitiisque nostris
Favorem Vestrum atque Benevolentiam porro
demereamur. P.P. Lipsiae d. 14. Junii 1694.